

dum a langobardis fuit: Ceterum illud quoque non omittendum: Naturam omnia numeris suis constituisse: neque infinitam esse uoluisse ullius regni potentiam. Vniuersi autem orbis si quis populorum regnorumque multitudinē consideret: haud crediderim: ex unius arce mentis recte gubernari posse. Ita quoque nec imperii: quod uero ex usu christianę rei publicę fuerit: euentus ipse docuit. Durauit & enim imperiū apud occidentem annis paulominus. xc. Ex quo uidelicet Gregorius solenni decreto legem illam uulgo notam sanxit electionis imperii. Rem raram: neque non admirabilem: in tanta præsertim instabilitate humanarum rerum: nisi quod optimum deum eam existimē sanxisse. Vt sacrosanctā religionem apud Transalpinas nationes ad omnem percliues nouitatem: hac Imperatorii nominis maiestate: infide atque officio contineret. Diuisionis igitur imperii hæc fuit ratio. Interea uero dum hæc apud nouos geruntur imperatores: Primus inter uenetos inde motus exortus. Fortunatus siquidem gradensis patriarcha haud immemor iniurię interfecti a Mauritiis ducibus: propinqui patriarchę & obelerius Tribunus Metamaucenus flagrans ducatus inuadendi cupiditate iuuenes ambo & ingenio ferociori: coniuratione inita minusque prudenter aduersus duces palā facta: ille in franciam profugit. Nonnulla ut supradiximus apud urbem Romanam caroli fretus familiaritate. Obelerius uero ac cæteri coniurati Taruissium. Fortunatus interea ut & gratiam sibi apud carolum: & inimicis ducibus comparet odium: Simulat causam profectionis: eam maxime ut carolo declaret quantum sit acceptum detrimenti in Nicephori fœderibus: Qui urbes dalmatię maritimas amiserit ducum uenetorum fraude. Eos id enim contendiſſe. Explicat earum regionum opportunitatem per commodam magnis gerendis rebus: seu transmittendis in Noricum exercitibus: pannonias uel: seu arcendis hostibus ab Italia. Commemorat quod commodus olim fuerit idē transitus Narseti. ut recepta sit uenetorum & dalmatarum armis: olim Anchona nuper Rauenna. Hæc prima uenetis gallici belli fomenta extiterē. Neque tamen Italię rebus carolus multum studiū adhibere poterat: maioribus implicitus curis. Sed ad pipinū curam remittere. Eadem pipinus ab accolis uenetorum: crebro audire. Qui ferre non poterant crescentem indies uenetorum libertatem & opes. Dissimulare tamen & interim expectare præstariū extimabat: donec commodior offerretur occasio. Cum uenetis hæc omnia essent aperta: ne forte imparati a pipino opprimantur: legationem ad Nicephorum decernunt. Minor natu de more gentis: uerba in hanc sententiam fecit. Missi sumus o Imperator a duce populoque ueneto: ut per officio ac fide: Quia semper a maioribus deuincti imperio fuerunt: Maiestatem tuā mōeamus hisce de rebus quę in italia geruntur. Neque fortasse detrimētū capiat imperiū: prospectū tibi eē debet in fœderibus gallicis nup̄ initis: dalmatiā partibus oriētis accessisse: optio quodē iure: quippe quod diuisa ab Adriatico mari tota in

*cum gallici belli.*